

appendiciis. Paramum usque ad flumen Mineum. Totam Lemostum, Vintio, et Verosino, et Saviniano, et Trojani, usque ad flumen Sylo, totam laneam, cum Ecclesiis de Patrajo, quae aedificatae sunt, vel fuerint inter Ornorium flumen, et Sylum, terminum montis Baròn, et per aquam Zore, usque in fluvium, et fundum Anoie, et per ipsum discursum usque in flumen Mineum. In vera usque in Portellam de Vanati; et Ecclesias de Sallar inter Arnoiam et Sylum, cum Ecclesiis de Barrosa Castellani, et possessionem S. Salvatoris de Ilbas Moesas, cum Saucam, Barvantes, Aura, et Aviom, Asina, Camba, Aviancos, et possessionem Ecclesiae S. Crucis de Soto Senatori, cum omnibus suis appendiciis. Sicut praedictam Sedem haereditaverunt nostri praedecessores, et Wandalii Reges stabilierunt, ita nos eam praecipimus stare et confirmamus. Tum omnes qui erant in Concilio una voce dixerunt: Placet, placet omnibus. Deinde tractaverunt ea quae pertinent ad salutem totius regni Hispaniae. His peractis, soluto Concilio, abierunt unusquisque in sua cum gaudio.

Actum Concilium 18 Kal. Julii Aera 915 non 9010 ut legitur in Sampiro, forte Amanuensium oscitantia.

APÉNDICE NÚM. 3.

Fragmentos del poema: Crónica de Ernoldo Nicello: Toma de Barcelona.

(Muratori: *Rerum italicarum scriptores*).

Urbs erat interea Francorum in hospita turmis
Maurorum votis adrociata magis
Quam Barchinonam prisci dixere latini,
Romanoque fuit more polita nimis
Haec Maurorum aderat semper tutela latronum,
Hostibus armigeris atque repleta fatiis.

Multi namque Duces vario hanc conamine belli
Obsedere diu: sed voluisse fuit.

Armis, ingenio, seu quicumque arte valebat
Sed pugnae studia compulit illa procùl.

Namque erat insigni murorum pondere fulla

Marmore praeduro structa vetusta nimis.

... Solium Rex scandit avitum

Caetera turba foris congruè dona parat,
Incipiunt fari. Coepit tunc sic Carolites.

Dicite consilium quo peragamus iter.

Haec Rex, atque Lupus fatum, sic Santio contra
Santio, qui propiae gentis agebat opus,
Vasconum Princeps, Caroli nutrimine fretus.

Ingenio atque fide qui superabat avos

Rex, censura tibi nobis parere necesse est.

Haustus consilii cujus ab ore fluit.

Si tamen à nostris agitur modo partibus haec res,
Parte mea, testor, pax erit atque quies.

Duxque Tolosana fatur Vilhelmus ab Urbe
Poplite flexato lambitat ore pedes.

Olux Francorum, Rex, et Pater, arma decusque,

Qui meritis patres vincis et ante tuos

Virtus celsa tibi et rector sapientia magne,

Concordi voto patris ab amne meant

Rex age, consiliis si dignor, consule nostris,

Atque meis votis Rex pietate fave.

Gens est tetra nimis Sarae de nomine dicta

Quae fines nostros depopulare solet

Fortis, equo fidens armorum munere necnon

Quae mihi nota nimis et sibi notus ego.

Moenia, castra, locos, seu caetera saepè notavi:

Ducere vos possum tramite pacifico:

Est quoque praetereà saeva urbs in finibus illis,

Causa mali tanti, quae sociata manet

Si pietate Dei, vestro faciente labore,

Haec capiatur, erit pax requiesque tuis.

Illuc tende gradum Rex, infer munera massis

Et Vilhelmus erit praevius, alme tuus

Tunc Rex arridens verbis ità fatur amicis,

Amplectens famulum oscula datque, capit

Gratia nostra tibi, Caroli sit gratia patris
 Dux bone, pro meritis semper habebis honos.
 Haec quoque quae recinis jam dudum pectoris arce
 Ponere cura fuit, nunc recitata placent,
 Consulo auxiliis ut poscis, consulo votis.
 Adventum citius credito, France, meum.
 Namque unum fateor cogor tibi dicere Vilhelm,
 Tu modò mente aviola suscipe verba mea:
 Si mihi vita comes domino tribuenti supersit
 Ut reor atque meum prosperet ipse itiner
 Possim aut Barchinona tuos fera cernere muros
 Quae tot bella meis laetificata canis,
 Testor utrumque caput (humeris fortasse recumbens)
 Vilhelmi comitis haec quoque dicta dabat
 Aut mihi maurorum contra est turba profana
 Seque suosque tegens, praelia Martis agat.
 Aut tu Barchinona volens, nolensque vetata
 Pandere claustra jubes et mea jussa petes.

Hoc dicto Proceres vario sermone fremebant.

.....
 Tum soboles Caroli sapienti haec edidit ore:
 Accipite hoc animis concilium, proceres
 Si gens ista Deum coleret, Christoque placeret
 Baptismique foret unguine tincta sacri
 Pax firmanda esset nobis, pax atque tenenda
 Coniungi ut possit religione Deo:
 Nunc verò execranda manet nostramque salutem
 Respuit et sequitur Daemonis imperia.
 Circò hanc nobis pietas miserata tonantis
 Servitiis famulam reddere namque valet...

.....
 Tandem jam victi nimium belloque
 Fameque consilio unanimi reddere castra volunt
 Panduntur portae, penetralia cuncta patescunt
 Servitio Regis urbs labefacta venit,
 Protinus optata sternuntur haud mora in urbe
 Franci victores hostibus imperitant.

Sabbatum erat sacrum cum res est ista peracta
 Quando prius Francis urbs patefacta fuit
 Namque sequenti die festo conscendit in urbem
 Rex Hiludowiceus ovans solvere vota Deo,
 Mundavitque locos ubi daemonis alma colebant
 Et Christo grates reddidit ipse pias
 Miscis, dante Deo, remeat custodibus aedes
 Ad proprias victor Rex, populusque suos.

APÉNDICE NÚM. 4.

Privilegio de Nuestra Señora de Alaon (vulgo de la O).

(Tomo IV, pág. 129 de la *Coleccion de Concilios* del cardenal Aguirre).

In nomine Sanctae et individuae Trinitatis, Carolus Dei gratia Francorum Rex. Dignum est Sanctae Ecclesiae loca auctoritate regali stabilire, et justis Monachorum divini cultus amore ad nos peragrantium precibus favere. Idecirco notum sit fidelibus Sanctae Dei Ecclesiae tam praesentibus quam futuris, quod religiosus vir Obbonius Abbas de partibus Hispaniae veniens, de illa nempè Gotthici Regni Marca Francorum Regibus olim nostroque nunc praecepto subjecta, et auspiciis genitoris nostri Augusti Ludovici à Saracenorum squalore praeservata, obtutibus nostris adiit. Eum ad serenitatem praesentiae nostrae ducens venerabilis ac fidelis noster Berarius primae Sedis Narbonensis urbis Archiepiscopus; nobisque palam fecit quod praeclarus quondam Vandregisilus Comes consanguineus noster ac homo Ligius; quem post patris sui Artalgarii Comitis mortem, genitor noster super Vasconiam, quae est trans Garumnam flumen limitaneum constituit, cum Dei et militum suorum auxilio, inter alia à Saracenis, et ab Amarvano Caesaraugustano duce eripuit totum illud territorium in dictae Vasconiae montanis locis situm, quod est ultra et circa flumen Balicram, nomine Alacon. Et quod dictus Vandregisilus Comes, cum praeclara uxore Maria Comitissa in praedicto loco Monasterium in Dei Genitricis honorem ante decennium sumptibus propriis extruxit, de consilio et consensu filiorum suorum; Videlicet Bernarthei, ad praesens ejusdem Vasconiae Comitis, et totius limitis custodis, cum uxore sua Comitissa Theu-

da, et Athonis, nunc Palliarenſis Comitſ, cum Eynzelina uxore, necnon Antonii hodie Vice Comitſ Biterrenſis, cum uxore ſua Adoyra, itidemque Aſinariſ nunc etiam Lupiniacenſis, ac Solenſis Vice-Comitſ, cum Gerberga uxore ſua. Qui omnes de infidelium expoſiſ Monasterium ſuſcitarunt, et Clericos Monachos ſecundum Regulam S. Benedicti converſantes, ex S. Petri Apoſtoli Sirasienſi Monasterio, cum eodem Obbonio Abbate ad illud contulerunt. Et quod Monasterium conſtructum, ac dedicatum fuit, de licentia, et conſenſu Venerabilis quondam Bartholomei primae Sedis Narbonenſis tunc Archiepiſcopi; et venerabilis Sisebotus Orgellitanus Epicoſopus, de cujus ſpiritualitate locus eſt, juxta ordinationem piſſimi genitorſ noſtri Auguſti Ludovici, opus laudavit, et Eccleſiam praedicti Monasterii benedixit; praesentibus venerandis Ferreolo Epicoſopo de Jacca, et Involato Convenarum Epicoſopo; necnon Oddoario Sirasiense Abbate, et Hermengaudo Abbate Assiniense, Oddoario Abbate S. Zachariae, Fortunio Leigerenſi Abbate, Dondone Abbate San Lavini, Vareno Abbate Alti-fagiti, Attilio Abbate Cellae-fragili, et Transirico S. Joannis Orolenſis Abbate, cum aliis Clericis et Eremitis, et Stodilo Abbate S. Aredii Attanenſis, qui ex Lemovicenſi S. Salvatorſ Basilica tunc comportavit ad novam Eccleſiam Beatae Mariae Lipsanas Athonis quondam Aquitaniae Ducis, ac filii ſui Aldregiſili Comitſ, cum caeteris fidelibus; de quibus omnibus autographum dedit. Similiterque obtulit noſtrae ſerenitati teſtamentum, ſeu Placitum praedictorum Vandregiſili Comitſ et conjugis Mariae Comitſſae, in quo de conſenſu omnium filiorum ſuorum, dictus Vandregiſilus eidem Monasterio et Clericis Monachis, ſecundum Regulam S. Benedicti in eo converſantibus, tam praesentibus quam futuris reliquit. In primis omne jus, quod ad ſe pertinere dixit, ſuper Monasterium de Rodi inſula, quod olim in honorem B. Mariae aedificavit Ludo Aquitaniae Dux, cum uxore ſua bonae memoriae Valtruda Valehigiſi Ducis, de noſtra progenie filia; et ubi praedictus Ludo ſepultus eſt... (*Las donaciones omitidas eſtán en el territorio de Francia, y proſigue aſi*): Denique de conſenſu principali filii ſui Aſinariſ Vice-comitſ Lupiniacenſis, ac Solenſis, qui territorium de Alacone, pro haereditate ſortitus fuerat, dedit Monasterio, et Monachis praefatis Eccleſias locorum de Arennus, de S. Stephano de Malleo, de Auleto, de Rocheta, de Viniallo, de Zalvera, et utraque Zopeira,

de Pardiniella, de Caſtañaria, et Cornudiella, et omnia aloda, eorum ſcilicet labandarias, et parietes. Juxtaque donavit Eccleſiam Caſtri nomine Vandres, quod ipſe aedificavit contra Mauros de Jacca, in redemptione ſua, et domos de Jacca, et omnes haereditates, et praedia, quae Comitſſa Maria habuit à patre ſuo quondam Aſinario Comite poſt captam Civitatem; cum aliis campis, et Pagis in praedicto teſtamento, ſeu Placito nominatis, et contentis, et à praedicto Monasterio poſſeſſis poſt mortem jam dictis Vrandegiſili Comitſ, et ejus uxoris Mariae Comitſſae, qui in eadem Eccleſia tumulati ſunt. De quibus omnibus praefatus Obbonius Abbas ſuo Monasterio, ſiſique Regiae auctoritatis Decretum fieri poſtulavit. Ut jam dictas villas, Eccleſias, Monasteria, et caeteras haereditates ſub unius Praecepti conſuſionem nominalim inſerens in perpetuum confirmemus; ut cum omnibus facultatibus ſuis, et nunc ſubjectis, et moderno in tempore ſubjiciendis, ſub noſtra deſenſione, et immunitatis tuitione conſiſtere faceremus. De quibus omnibus habito conſilio cum noſtrae Curiae Optimatibus, et cum Archiepiſcopis, Epicoſpis, Abbatibus, Ducibus et Comitibus nobiſcum, tum apud Carſiacum congregatiſ propter ſolemnitatem ad noſtras feliciffimas nuptias cum glorioſa Domina Hermentrude ſublimi Regina honorandas, recognovimus, quod in totum non poſſumus ejusdem Abbatis precibus aures accommodare, utpoſe noſtrae Regali celsitudini, et multorum juri adverſantibus. Quia praedictus Vandregiſilus Comes minime facultatem habuit legandi, ſeu donandi villas, Eccleſias, Monasteria, et caeteras haereditates per Aquitaniam, et Vasconiam conſtitutas... (*Aqui refiere las donaciones hechas en Aquitania, Bearne, y Bigorra: expreſa el motivo porque ſon nulas y proſigue aſi*): Hiſ ſummotis et in perpetuum ad ſilentium redactis, ob Dei amorem, et Deiparae reverentiam in caeterum placuit Celsitudini noſtrae praedicti Obbonii Abbatis petitionibus annuere. Viſis praesertim patentibus Litteris, quas ad nos miſit humiliter ſuper hoc rogans nobilis ac fidelis noſter Aſinariſ Lupiniacenſis, et Solenſis Vice-comes, jam dicti territorii dominus, et propter bona ſervitia, quae nobis fecit contra Mauros de Corſica, et alios adverſarios Francorum, nobilis conſanguineus noſter Buchardus Dux, praedictae Vice-comitſſae Gerbergae pater; et praecipue ex petitione et hortatu glorioſae conjugis noſtrae Hermentrudis, ſublimis Reginae; hoc itidem nobiſ ſug-

gerente praefato Metropolitano Berario Archiepiscopo cum aliis fidelibus nostris; placitum nostrum Regale petentibus, et acclamantibus. Propter quod, et hoc nostrae auctoritatis, immunitatisque Praeceptum erga praedictum Obbonium Abbatem, et idem Monasterium facere decrevimus. Itaque decernimus, atque jubemus, ut idem Obbonius Abbas praedictum Monasterium, dum ipse in carne vixerit, quia de ipso benedictionis electionem suscepit, habeat in manu, et potestate sua, regulariter secundum Regulam S. Benedicti, sibi commissam illud gubernans, et studiosè lucris animarum invigilans, et post suum decessum Monachi, et Conventus Monasterii potestatem habeant alterum ex eis in Abbatem eligendi. Et ipse Obbonius res ad nullum Regem, Ducem, Comitem, seu Potestatem respiciant, nisi ad Regem Franciae immediatè, uti Aquitaniae et Vasconiae Regem, et secundum Regulam S. Benedicti regulariter vivant. Animas Deo verbis, et factis lucrantes, ut ex ovibus suae curae commendatis aeternae mercedis gratiam habere mereamur. Et praecipuè quod praedictum monasterium habeat, et possideat res omnes, quas de consensu omnium filiorum suorum et praecipuè Asinarii Vice-comitis, pater eorum Vandregisilus cum Comitissa Maria uxore eidem legavit, et donavit. Et sub istius Praecepti conclusionem nominatim inserimus, scilicet Ecclesias locorum de Arennus, de S. Stephano, de Malleo, de Auleto, de Rocheta, de Viniallo, de Zalvera, de utraque Zopeira, de Pardiniella, de Castañeira, de Cornudiella, et omnia aloda eorum; id est, Labandarias, et parietes. Similiterque Ecclesiam Loci de Vandres, domos de Jacca, et haereditates, quas Comitissa Maria habuit à patre suo Asinario Comite; cum caeteris campis, et Pagis in praedicto testamento contentis, exceptis tamen rebus illis, quas supra à Praecepto nostro excludimus, et propter causas jam dictas confirmare non valemus. Quae tamen approbamus sub hoc nostro institutionis Decreto sublimitè ordinato, et legalitèr statuto, jure quieto, et inviolabilitèr praedictum Monasterium, absque ulla contradictione sub monasticae dignitatis reverentia habeat, et sine fine possideat, et cum tota integritate omnia dicta, quae obtinet, pacifica, et immota permaneant; et quicquid praedictum Monasterium nunc habet, vel quaecumque in postmodum, Deo auxiliante habiturum sit in dictis, et non dictis locis, vel quodcumque, Deo comitante, in posterum ubicumque acquirere

sibi valuerit, omnia firmitèr sempèr gaudeat. Insuper per hoc nostrum excelsum Praeceptum ordinamus, et statuimus, quod nullus Dux, Comes, Vice-comes seu Vicarius, sive ullus exactor judicariae potestatis, in Ecclesias praedictas, aut loca, vel agros, vel alaudes, seu reliquas possessiones, quas praedictum Monasterium retinet, vel quas in tempus in jure, ac potestate ipsius Divina misericordia augere potuerit, ad causas audiendas, seu gestium dandum, vel feuda, et telonea exigenda, aut feramina capienda, aut mansiones, seu paratas faciendas, seu fidei-jussores tollendos, aut homines ipsius Monasterii, tam ingenuos, quam servos, distringendos, aut ullas redhibitiones, aut illicitas occasiones requirendas, nostro tempore, vel juniorum, seu successorum nostrorum, ingredi audeat. Nec curtes praefati Monasterii penetrare, vel ea, quae supra enumerata sunt, penitus praesumat exigere; sive Comes sit, aut Vice-comes, aut Vicarius, aut Graffio, aut Gastaldus, aut Telonarius, sive alius justiciariae potestatis. Sed liceat Obbonio Abbati memorato suisque successoribus, sub nostra defensione permanere, nostroque solo, et juniorum, aut successorum nostrorum in temporalibus immediatè parere imperio. Et quicquid jus fisci indè poterat exigere nos propter Dei, et B. Mariae reverentiam, remittimus Monasterio praedicto, et etiam ei nostra regali licentia et potestate relaxamus, et concedimus, quod nullum umquam censum persolvant; nisi tantum censum spiritualem ei impositum pro animabus Vandregisili Comitis, et Mariae uxoris, suorumque parentum, ac filiorum, et totius stirpis Vandregisili in perpetuum. Et etiam pro nostra, et conjugis nostrae, et juniorum seu successorum nostrorum salute, et totius regalis regiminis, à Deo nobis, et illis pro sua misericordia commissi incolumitate orare quotidie teneatur. In caeterum nullum tributum vel debitum, de omnium rerum suarum possessionibus alicui persolvat, sed liberè, et tranquillè omnes haereditates suas hac nostra legali absolute possideat; et nullo umquam Duci, vel Comiti, vel Vice-comiti, vel Vicario, aut Graffioni, seu alio Domino, sed solum nostrae, et juniorum, seu successorum nostrorum in temporalibus subditum sit potestati immediatè. At vero in spiritualibus Metropolitano Archiepiscopo Narbonensi, et Orgellitano Episcopo Dioecetano, qui nunc sunt, vel pro tempore fuerint, obediat, juxta ordinationem, seu Praeceptum genitoris nostri piissimi Ludovici Augusti. Reser-

vamus tamen omnium locorum praedictorum, et praedicti Monasterii Advocatiam, seu Abbatiam cum medietate decimarum omnium pageriae titulo, ad dictum Vice-comitem Asinarium, praefati territorii Dominum, suosque ad successores et haeredes, vel ad alios, qui ab eo, seu haereditariâ, seu emptivâ, vel dotalitiâ ratione jus habuerint, dummodo praefato Orgellitano Episcopo, qui nunc est, vel pro tempore fuerit, ab eo, vel à successoribus arcutiae persolvantur. Caeterum si quis Dux, aut Comes, seu Vice-comes, seu Vicarius, aut Graffio, vel Potestas terrae, vel Judex, vel alius è nostris fidelibus in futurum huic Regiae dignitatis, sive auctoritatis Praecepto, litem, vel aliquam controversiam, aut interpretationem, seu dubium inferre tentaverit astu malignitatis; Sanctae et individuae Trinitatis iram incurrat, et offensam B. Mariae sustineat, et in districto, ac tremendo aeterni iudicii examine, eam adversariam inveniat, sitque anathema; atque reus Divinae Majestatis, atque humanae iudicetur; et temeritatis suae poenas exindè persolvat, et congrua omni poenitentia, secundum Ecclesiasticas Leges, Deo et B. Mariae Virgini in sexduplum satisfaciat. Et ut haec nostrae Praeceptionis auctoritas à Fidelibus omnibus Sanctae Dei Ecclesiae, et nostris, in istis Regni Francorum partibus, et in illis citerioris Hispaniae, et Regni Gotthici finibus, nostro Imperio subjectis et subjiendis, verius, et firmiter credatur, et diligentius observetur; eam manu propria subscripsimus, et Annuli nostri impressione signari jussimus. Signum ✠ Caroli gloriosissimi Regis. Rangenfredus, Notarius ad vicem Ludovici Abbatis recognovit. Data duodecimo Kalend. Februarii, anno quinto Regni praestantissimi Caroli Regis, Indictione octava. Actum in Compendii Palatio Regali, in Dei nomine feliciter. Amen.

APÉNDICE NÚM. 5.

Carta de san Eulogio al obispo Welisindo.

Reverendissimo et Sanctissimo Dei ministro Domino et patri meo Wiliesindo Pampilonensis Sedis Episcopo, Eulogius presbyter salutem:

Olim, beatissime Papa, cum dira saeculi fortuna, quae fratres meos Alvarum et Isidorum à genitale solo abducens, penè in ulte-



riores Togatae Galliae partes apud Hludovicum regem Baioariae exulare fecit: cum me etiam propter eos diversas adire regiones, et ignota atque laboriosa itinera subire compelleret (quoniam stipata praedonibus via, et funeroso quondam Wilihelmi tota Gothia perturbata erat incursu, qui adversum Carolum regem francorum eo tempore auxilio fretus Habdarrahmanis regis Arabum, tyrannium agens, in via et madibilia cuncta reddiderat) ad partes Pampilonenses diversus, putaveram me inde citò migraturum. Sed ipsa iterum, quae Pampilonem et Seburicos limitat Gallia comata, in excidium praedicti Caroli contumaciores cervices factionibus comitis Sancii Sancionis erigens, contra jus praefati Principis veniens, totum illud obsidens iter, immane periculum commeantibus ingerebat. Eo tempore magnam mihi consolationem Beatitudo tua in ipsa peregrinatione exhibuit. Et verè summi magistri typum gerens, et in veritate ejus praeceptis obediens, non distulisti hospitio recreare, quam tibi vera caritas Jesu Christi commendaverat, dicentis: Hospes eram, et collegistis me. Ita thesaurus meritorum apud patrem in coelis collocare studens, praebes necessaria destitutis, foves omnia, universa tutaris: adeò ut in illo exilio meo nihil praeter affectuosam peregrinorum fratrum et destitutae familiae praesentiam suspirarem. Lugebam ego saepè, sed tu pater assidue consolabaris moerentem: flebam multum; sed tu pia compassione relevabas prostratum. Quandoquidem juxta Apostolum mecum infirmabaris, mecum tristabaris, plangebasque ubertim, cum ego plorarem. Cumque me uno residere loco multiplex dolor non sineret, libuit mihi loca visitare Sanctorum, quo dejectum summis moeroribus animum relevare.

2. Et maximè libuit adire beati Zachariae ascysterium, quod situm ad radices montium Pyrenaeorum in praefatae Galliae portariis, quibus Aragus flumen oriens, rapido cursu Seburim et Pampilonam irrigans, amni Cantabro infunditur: quod famosissimis in exercitatione regularis disciplinae studiis decoratum, toto refulgebat occiduo. Sed tu pater juvas anhelantem, et salutari consultu instruis abeuntem, pioque fratrum comitatu foves pergentem. Prius autem quam ad eundem locum accederem, plures apud Legerense monasterium commorans dies, praecipuos in Dei timore viros ibidem manere cognovi. Deinde alia atque alia loca peragrans, tandem divino munere ad illud, quod saepius desiderabam, perveni coenobium. Praecerat